

26
Q. B. V. D.

NUNCIUS NECIS
SAULINAE A DA-
VIDE CAESUS,

2. Sam. 1: 15.

Quem

DISSERTATIONE PHILOLOGICO-
MORALI

leviter descriptum,

Consensu Ampless. Facult. Philos.

PRÆSIDE

ISAACO BYÖNKÄUNO /

L.L. Orient. & Gr. Profess. Ord.

*Publico bonorum examini modesto
submitte*

JOHANNES REMAHL E. Fil.

Ostro-Botniensis.

In Auditorio Acad. Aboënsis Majori
Horis solitis V. D. d. 26. Maji An. 1733.

A B O Æ,

Excud. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ Maj:tis

Magnæ Fidei VIRO

Perillustri ac Generoso DOMINO,

Dn. CAROLO MAGNO
DÜRIETZ,

Ad Legionem pedestrem Vestrobotnicam
CHILIARCHÆ LOCUM TENENTI Præ-
cellentissimo, MÆCENATI Maximo, omni
pietatis & observantiæ cultu submisse
colendo.

Summe Reverendo & Celeberrimo

VIRO,

Dn. DANIELI JUSLENIO,
S. S. Theologiæ DOCTORI & PROFESSO-
RI ORD. Ecclesiæ Fennicæ Aboënsis ANTI-
STITI gravissimo, Consistorii utriusque AD-
SESSORI Amplissimo, Mæcenati submissa
animi reverentia prosequendo.

*N*on eo audacia progressus essem, ut tumultua-
Maximis VESTRIS NOMINIBUS consecrare
ris & indulgentia, in literarum cultores affectus,

S:æ R:æ Maj:tis
Magnæ Fidei VIRO,
Perillustri & Generoso DOMINO,
Dn. HENRICO JOHANNI
von KNORRING,

Ad Legionem pedestrem Ostrobotnicam GE-
NERALI ADJUTANTI longe strenuissimo,
Mæcenati omni obsequii & reverentiæ studio
suspiciendo.

Summe Reverendo & Amplissimo
VIRO,

Dn. ANDREAE BERGIO,
S. S. Theologiæ DOCTORI & PROF. ORD.
ANTISTITI Eccles. in Nådendahl, Neso &
Merimasto longe dexterrimo, utriusque Con-
sistorii ADSESSORI Celeberrimo, Mæcena-
ti jugi venerationis cultu colendo.

rias hæc & radi Minerva adumbratas lines,
sustinerem; nisi VESTER singularis prorsus favo-
quo etiam me indignum licet, nullo non tempore
com-

complecti haud dedignati estis, me impulisset, ut
seram, tenuem huncce ingenii mei fatum, lucem
Nominum VESTRORUM fulgore & auctoritate
offerrem. Suscipite igitur chartaceum hocce manu-
Regi suo oblata, & favoris VESTRI splendore illu-
interpretatione subleuate: & mihi meisq; commodis,
ficati estis, consulite! Quod in me est, vota ad
VOS in Patria, Reipublica & litteraria, nec non
STRARUM fulcrum, decus & emolumentum in
confer-

MAXIMORUM NO-

Humillimus

Johannes

*in debita pietatis & observantia promptissima res-
illi, qua ipse omni destitutus est, a Maximorum
securaturus, ad pedes VESTROS deponerem &
seculum fronte benigna, aqua instar a Persa illo Sineta
frate, vel saltem simplicem ejus temeritatem, serena
quibus adhuc singulari prorsus favoris aura veli-
DEUM fundere calidissima nullus desistam, velit
Illustrissimarum Nobilissimarumque Familiarum VE-
venerandam usque canitiem, florentes & vigentes
vare.*

MINUM VESTRORUM

cultor

Remahl E. F.

Nobilissimo & Consultissimo Domino,

Dn. MICHAELI EUREN. HOEJER,
JUDICI Territoriali districtus Vestrobotni-
cæ Aequissimo, Patrono omni officiorum ge-
nere prosequendo.

Admodum Reverendo & Praclarissimo VIRO,
Mag. ABRAHAMO FOUGT,
Pastori & Præposito Tornoënsium tolerantissi-
mo, Nutritio non ita pridem indulgentissi-
mo, Patrono certissimo.

Plurimum Reverendo & Clarissimo VIRO,
Dn. BARTHOLDO ERWAST,
Pastori in Pudasjerwi meritissimo, Patruo
& Evergetæ honoratissimo.

Quum memori revolvam pectore Vestra, Pa-
ria eaque eximia in me favoris & benevo-
genii mei Specimen, in pignus tesseramque grati
offerre, humillime contendens, ut hocce grati pectori,
ris radios favoris Vestri, quibus me dignati estis,
Quod si ex voto contigerit, venerabunda men-
Venerandorum Nomi-

devotissimus

J.

Admodum Reverendo & Praclarissimo VIRO,
Mag. SIMONI FORSTROEM,
Pastori in Paldamo dexterrimo, Contractus
vicini Præposito laudatissimo, ut olim Præcep-
tori fidelissimo, ita jam Patrono omni ho-
noris cultu æternum devenerando.

Plurimum Reverendo & Praclarissimo VIRO,
Mag. ZACHARIÆ FORBUS,
Pastori in Ruisamo vigilantissimo, Fautori
optimo.

Plurimum Reverendo & Clarissimo VIRO,
Dn. ISAACO ERWAST,
Legionis pedestris Aboënsis Pastori vigilan-
tissimo, ut naturæ, ita beneficiorum vin-
culo mihi conjunctissimo, Fautori propen-
sissimo.

*troni, Patruæ & Euergetæ Propensissimi, singula-
lenta documenta, non possum non exile hocce in-
animum, Prælaris Vestris Nominibus consecrare &
qualecunque indicium sereno aspiciatis vultu, &
ulterius etiamnum latiusque diffundi permittatis,
te, mihi gratulandi ansam nactus sum.*
num Vestrorum

cultor.

R.

Plurimum Reverendo atque Doctissimo Domino
Dn. IOHANNI WEGELIO,
Pædagogicæ Tornoënsis Rectori vigilantissi-
mo.

Perquam Reverendo ac Doctissimo Domino,
Dn. JOHANNI BRANDBERG,
Sacellano in Euskajosi meritissimo, Patru-
loco perpetim colendo.

Perquam Reverendo atque Doctissimo Viro,
Dn. PETRO SCHRODERO,
Comministro in Euskajosi vigilantissimo,
consanguineo honoratissimo.

Viro Spectabili

Dn. MARTINO RECHARDT,
Civi & Mercatori inter Tornoenses pruden-
tissimo.

*I*ngens beneficiorum cumulus, & spes ulte-
rioris favoris & benevolentia, impulit,
ut primitias hæc ingenii sui tenues licet,
in grata recordationis pignus Energetis & a-
micis suis honoratissimis, cum omni gratula-
tione sacras nuncuparet

Auctor & Respondens.



I. N. J.

PROOEMIUM.

Quantam afferre soleat utilitatem Reipublicæ institutæ, cum egregii & optimè de civitate, domi militiaeque meriti viri, justis ornantur præmiis; mali vero, legesque, quibus salus publica nititur, emigrantes, pœna delictis eorum debita afficiuntur, experientia fida rerum magistra, indicat demonstratque quotidie. Hominem enim summis licet instructum ditatumque esse a Deo dotibus, nemo inficias iverit; magnis tamen morbis & defectibus mentis laborare deprehendimus, ut sine sana cultura

ra sui, non ineptum tantum, ad publica
 juvanda commoda, verum ferox &
 ad noxam damnumque alteri inferen-
 dam pronum validumque sit animal:
adeoque si judisia non essent, unus alterum
devoraret. Hanc sæviendi in alios libi-
 dinem & pruritum, summum Numen,
 non modo per obligationem hanc com-
 munem, in creatione hominum menti-
 bus impressam, *neminem esse ladendum;*
 verum & per leges civiles dirigit & con-
 stringit, ut eas observando, salutem su-
 am & felicitatem conservent ac augeant.
 Tanta enim hominis est corruptio,
 ut beneficia & præmia, quæ bruta etiam
 animalia demulcent, ad effrenatam e-
 jus ferociam confringendam, & pacem
 publicam fulciendam stabiliendamque
 non satis valida sint: idcirco leges istæ
 potentiam suam coactivam, cum coërci-
 tionibus & *violentia* quadam externa, in
 vitam, corpus ac alia bona hominis ex
 occasione delicti, per civile imperium
 exercent, quod Philosophis *jus vite &*
necis audit. Hoc jus non tantum Græ-
 ci Romanique rerum gestarum magni-
 tudi-

tudine inter alias gentes clari observa-
 runt, & quoad istum mos apud eos obti-
 nuit, tandiu Rempublicam eorum vige-
 nisse; verum neglecto eo, reipublicæ vi-
 res vigoremque defloruisse, veteres e-
 orum nos condocent annales: sed in-
 ter gentem etiam Hebræorum, legibus
 licet saluberrimis suffultam, notitiaque
 Numinis divini pleniore imbutam, Re-
 ges & Principes, summo cum Reipubli-
 cæ emolumento exercuisse, vel exem-
 plum Davidis nobis ad oculum demon-
 strat 2 Sam. I: 15. Hic Amalekitam i-
 stum, qui se percussorem Regis Saulis
 jactitavit, interfici iussit. Quod facinus,
 cum mihi examinandum proposuerim,
 Tuum qua par est observantia, favorem
 humanitatemque L. Benevole, imploro
 & obtestor, velis innocuos hosce imma-
 turosque ingenii foetus, censura prose-
 qui benigna.

§. I.

UT vero eo planior nobis ad institu-
 tum pandatur aditus, necessum du-
 ximus, in sedes originemque Amaleki-

re istius inquirere. Quibus enodandis
 eo minus immorabimur, quod præter ea,
 quæ scriptura habet, nihil certi de illis
 tradi potest. Mose teste constat, Ama-
 lekitas ex gente Edomitarum originem
 duxisse: Amalek enim filius Eliphazi,
 primogeniti Esavi, qui gentem & impe-
 rium eorum condidit, fuit (a). Sedem
 sibi una cum ceteris Esavi posteris, in
 tractu montano Seir, cui deinde no-
 men Idumææ inditum, expulsis priscis co-
 lonis Horræis acquisiverunt (b). Fines
 tractus Edomitici, olim a terra Cana-
 næa pertigerunt usque ad mare rubrum,
 scriptoribus exoticis Erythræum, ab Esa-
 vo, quem Erythram Græcorum esse vi-
 ri docti observarunt (c): nam & Ezion
 Geber, ex qua classis Salomonis in re-
 gionem Ophir solvebat, ad littus maris
 Erythræi in terra Edomi sita fuit (d).
 Amalekitas vero jam Mosis ævo distin-
 ctam

(a) Gen. 36: 4. & 12.

(b) cap. cit. v. 20. conf. Deut. 2, 12. (c) Strabo lib. 17. Geogr. pag. 535 & seq. conf. Plinius lib. 6 Hist. Nat. C. 22. (d) 1 Reg. 9. 26 conf. Fulleri miscell. lib. 4. c. 20.

etiam ab aliis Edomæis gentem constitu-
 isse & seorsim habitasse videmus, sive
 quod ceteris ferociores, communibus
 legibus regi nollent, sive ob sordidiores
 Amaleki natales a reliquis essent re-
 jecti. Observatum est præterea eruditiss,
 Amalekitas, diversas diversis temporibus
 sedes, in Idumæa habuisse: magis
 vero gliscente imperio eorum, ad pla-
 gam australem, in extremis Cananæ,
 præsertim tribus Simeonis & Judæ fini-
 bus, sedem perpetuam sibi fixisse viden-
 tur, ubi etiam urbem haud exiguam
 habuerunt: urbem, inquam, eamque
 unicam; nam scriptura unius tantum
 urbis mentionem facit, licet Josephus
 de pluribus loquatur (c). Unde proba-
 biliter concludimus, gentem istam, li-
 cet bellicosissimam, alendis pascendisque
 armentis & pecoribus intentam, in pa-
 gis, vicis & tuguriis, more istorum
 temporum habitasse, nec præter sedem
 regiam alia munimenta aut urbes condi-
 disse. Hæc illa est gens, quæ quum Is-
 raëlitas ex Ægypto egressos prima ho-
 stili-

(c) *Antiq. Jud. lib. 6. c. 8.*

stikiter lacefferet, internecioni divinitus destinata est (f). Hæc ex gente, Amalekita iste oriundus peregrinus inter Hebræos commorabatur, forte quod pater ejus sacra istius gentis, ut nonnullis placet, amplexus esset: hinc etiam se ipsum haud obscure, filium hominis advenæ Amalekitæ nominat.

§. II.

ATque hic ipse Amalekita, armorum militiæque Israëlitiæ, in bello Philistæo comes, regnum Davidi destinatum scivit, cui, ut gratiam favoremque ab eo iniret, nuncium de cruenta Hebræorum clade, in monte Gilboæ, & luctuosa regis Saulis & trium filiorum ejus nece, una cum insignibus regiis Saulis ademptis, in urbem Ziclåg, pertulit. Et quamquam se latum exoptatumq; nuncium illi afferre existimavit; more tamen istis temporibus consveto, laceratis vestibus & capiti pulvere insperso, luctum doloremque, propter mortem potissimum Ionathanis, quem Davidi amici-

(f) *Exod.* 17: 8. &c.

amicitia non fucata in extremas usque res cultum fuisse haud ignoravit, præ se tulit. Deinde humi procumbens Davidem veneratur, & in exponendo funesti illius prælii eventu, refert: Saulem a sagittariis in summas redactum angustias, & gladio suo innixum, ad mortem, quam evitare haud posset, accelerandam, ipsum hunc in modum precibus fatigasse: *confiste quaeso, & me occidito, וַדַּשׁ הַלּוֹרֵיכָא מֵעִמָּךְ, & adhuc anima mea est in me.* Ubi observandum, quam plurimos interpretum per וַדַּשׁ angustias & dolores exprimere, ut LXX illi: *κατίεχε με σκότος θανάτου.* Vulgatus: *quoniam tenent me angustia.* Paraphrastes Chaldæus: *apprehendit me tremor.* Quem translator Svecus sequitur: *angest hafwer begripit mig.* Joh. Coccejus: *corripuit me vertigo, quia adhuc est anima mea in me hætenus vivo, ut lucter cum morte.* Quos sua abundare sententia in re ambigua, non ægre patimur: magis tamen veritati consentaneam existimamus illorum expositionem, qui per וַדַּשׁ sive loriam, sive tunicam acellatam intelligunt

ligunt: quibus ex recentioribus, felicissimus ille arcanorum divinarum indagator Seb. Schmidius (a), nec non Joh. Clericus & Cl. Buddeus (b) suffragantur. Nomen quidem ipsum hac forma non alibi legitur: sed tum radix ψ בש, tum cognata nomina ψ בשח & ψ בשא de opere phrygionio, ocellato, intertexto usurpantur (c). A qua proprietate litteræ ut hic discedamus, & varias in difficultates nos præcipitemus, nulla nos cogit necessitas, imprimis cum connexio rei sensui Saulino apprimè respondeat. Scilicet postquam in mucronem gladii seu hastæ suæ incubuerat, ea intentione, ut ignominiam cruciatusque sibi jam jam ab hostibus impendentes morte declinaret, vulnus quidem sibi gravissimum inflictum sensit: sed ne ictus in viscera alte penetraret, & cor ipsum feriret, lorricam, qua indutus erat, aut tunicam phrygioniam densiorem, sustinere animadvertit: adeoque Amalekitæ sibi adstanti

(a) in comentario suo in h. l. (b) Hist Eccl. v. Test. Per. 2. Sect. 3. §. 14 (c) Exod. 28. v. 4. 11. 13, & Cap. 39: 6, & c. Psal. 45: 14.

stanti dixit: hæc ipsa mea (quod n̄ demonstrativum evincit,) lorica aut tunica obstat, quo minus mortem statim ex voto occupare potuerim, sed toto hoc tempore adhuc anima in me est: idcirco illum, ut necem ipsi acceleraret, ne vivus in hostium præputiatorum manus incideret, rogavit. Hic se confestim & promte ad Saulem semivivum, & corporis nexibus solvi cupientem, a cruciatibus liberandum profuisse, & jacentem insignibus spoliasse, apud Davidem ipse jactitavit. Sed dubitant quam plurimi (d), num Saul a vulnere, quod ipse sibi inflixit, an vero per Amalekitæ manus perierit. Quod ceu rem obscuram & nos, ut David id facere videtur, in medio reliquimus, quum argumento nostro non multum momenti tribuat.

§. III.

Hanc vero autochiriam Saulis, sive per Amalekitam, sive propria commissa fuerit manu, illicitam fuisse, nihil est cur

(d) vid. R. Levi ben Gerson, in b. l.

cur dubitemus pronunciare. Nam quod quis per alium fecerit, ipse fecisse censetur; adeoque ut causæ principali actio imputatur. De Saule vero certius constat, directe, quantum in ipso fuit, mortem sibi attraxisse, qui pleno moriendi conatu ipse violentas sibi manus intulit; quamquam forte, si vera narrat nuncius, viribus ultimam destituentibus effectum, ad quem perficiendum & accelerandum & ipse alienis manibus est usus: adeoque tali vitæ exitu, maximo & gravissimo se obstrinxit crimine, & animam suam cruciatibus æternis exposuit. Attamen non desunt viri haud exiguæ eruditionis, qui mitius de eo ferant iudicium. Nam Hugo Grotius observat, nonnullos Hebræorum de lege se non interficiendi unam excepisse causam, laudabilis instar excessus: scilicet si quis videat se deinceps victurum in ipsius Dei probrum, & reipublicæ, cui soli natus sit homo, damnum detrimentumq; maximum exinde redundare, vitam sibi abrumpere licitum.

eum putant. Et ex hoc fundamento, non tantum autochiriam Samsonis, sed etiam Regis Saulis & Razii senioris Ierosolymitani, exculare annuntiantur; ipso Hugone Grot. album sententia illorum addente calculum, qui de Saule hoc adjecit: *Nam hunc resistisse volunt, postquam Samuelis umbra mortem ipsi prædixerat, quam gnarus sibi imminere, si pugnaret, prælium pro patria & Dei lege non detraxerat, aeternam inde laudem meritis, Davidis etiam præconio: a quo & illi, qui Saulem cum honore sepelierant, recte facti testimonium retulerunt (a).* Nec multum ab eo in defendenda autochiria abludunt Æpinus (b) & Puffendorf (c). Crassissime vero eandem propugnare, & toti orbi, ut licitam, obtrudere conatus est Anglus quidam nomine Joh. Donnius (d).

§. IV.

Verum enim vero si rem penitiori lustrare

(a) lib. 2. c. 19. §. 5. Jur. B. & P. (b) Ethic. part. III. c. 6. §. 17. (c) J. Nat. & Gent. lib. 2. c. 4. §. 19. conf. §. 17. (d) lib. pcc. Biathanatos nomine Lond. impress. 1664.

straverimus animo, non possumus non; sententiam hanc eorum, Stoicismum redolentem, & justitiæ Dei contrariam impugnare & proscribere. Nam ut verbis utar celeberrimi Buddei (a), qui in miseriis & calamitatibus promte subeundis & patienter ferendis, suum erga Deum probat obsequium, is non in probrum, quin potius in gloriam Dei vivere censendus est. Majoris quippe fortitudinis & prudentiæ esse, mala dubia & incerta sustinere, quam iis succumbere, etiam gentes agnoscunt saniores, ut concinne Seneca Phœnissis dicit: *Vitam timere non est fortis viri, sed malis ingentibus obstare, nec se vertere aut retro dare est virtus.* Nec quisquam tanto pollet judicio & prærogativâ, ut infallibiliter causarum ex Deo pendentium eventus perspicere & prævidere valeat, cum Deo varii & imperscrutabiles, etiam singulis momentis, modi suppetant, hominem sui causa patientem vindicandi, probrum impediendi, & gloriam suam demonstrandi

(a) *Instit. Theol. moral. part. 2. c. 3. sect. 3.*

di (b). Accedit & hoc, quod homo, præter instinctum affectus naturalis, ad vitam suam, depositi instar fidei suæ commissi, conservandam, & limites stationis, in qua collocatus est, tuendos, obligatione quadam divina obstringitur, adeoque sine permissu collocantis & obligantis, nefas & illicitum plane est, eam deserere & transgredi (c). Ad exemplum autem Samsonis quod attinet, quod *ἀνοχηρίας* conditores quam avidissime in suas arripiunt partes, dispar est magna intercapidine, neque ad imitationem deduci potest, neq; debet. Nam is, non ex trepidatione & horrore animi, aut ignominiaæ declinandæ metu, manus directe sibi intulit, sed probabile saltem mortis periculum e vocationis modo & instinctu divino adivit, ut ultionem, ab hostibus Dei iniquis, justam exigeret (d). Inepte etiam de resipiscentia Saulis dicitur, quia ipse Spiritus S. expressis verbis testatur, illum
in

(b) Hochstet. in Coll. Puffend. exercit. 5. §. 3.

(c) Lactant. divin. instit. lib. 3. c. 18. (d) Schottanus in Biblioth. Sac. Vet. Test. Tom. 2. p. 488.

in peccatis & transgressionibus suis per-
 iisse 1. Chron. 10: 13. Nec David in
 lamentatione sua super Saulis & filio-
 rum ejus tragica nece, pietatem ejus in
 Deum, cujus ne verbulo quidem memi-
 nit, multo minus autochiriam, sed pe-
 ritiam tantum & fortitudinem bellicam
 laudat. Quemadmodum etiam Jabesitæ &
 Gileaditæ ossa ejus sepelientes, ob regi-
 am, quam gesserat dignitatem, & auxi-
 lium, quod illis vivus tulerat, hoc offi-
 cium illi fecerunt. Hisce sic qualitercun-
 que expensis & discussis, haud difficul-
 ter cum sæpe laudato Buddeo concludi-
 mus, omnem autochiriam, quocunque
 demum casu fingatur, esse illicitam. (e)

§. V.

Sed ordinis exigit ratio, ut ad metam
 nobis propositam reduces, ornamen-
 ta ista regia, quorum in superioribus
 mentionem injecimus, paucis expona-
 mus. Hæc Amalekita iste Davidi exhibi-
 turus, אצערדא & הנור appellavit. Quo-
 rum prius vocabulum alias semel tan-
 tum

(e) *Instit. Theol. mor. part. 2. Sect. 3. §. 16.*

rum Num. 31: 50. legitur: quod quamquam a $\gamma\psi\chi$ *incedenai* verbo descendens, de brachio tamen regali demum hic distincte dicitur, adeoque ejusdem membri ornamentum sit oportet, unde & interpretes de *armilla* exponunt. Posterior vox a $\gamma\iota\delta$ *separandi* radice deducta, *insigne* notat, quo personæ peculiare a reliquis distinguuntur. Usurpatur de insigni tiaræ pontificalis, Exod. 29: 6. de coma naziræi, Num. 6: 7. de diademate regio, 2. Reg. 11: 12. Hinc certamen est inter eruditos, num regi cum hostibus decertaturo ornamenta ista convenient. Plerique hoc cum Josepho affirmant, qui dicit Saulem *περὶ τὸν βραχίονα αὐτοῦ χρυσῶ καὶ βασιλικῶ στεφάνῳ* insignitum fuisse. Nonnulli vero, qui cum Rabbini non dubitant, quin Amalekita iste Doëgi Edomæi filius fuerit, quia Amalekitæ unam eandemque cum Edomæis originem agnoscunt, contendunt cum Saliano (A), Doëgum huic filio suo insignia regalia, suæ fidei & custodiæ concre-

(A) apud Scot. in *Bibl. S. Vet. Test. Tom. III. pag. 661 in h. loc.*

credita, tradidisse, ut ea ad Davidem perferret, & in ejus gratiam se hoc munere insinuare posset. Sed sine fundamento hæc dicuntur. Nam gens Amalekitarum ab Edomæis distinctissima fuit: ignotum quoque nuncium istum tam Sauli, quam Davidi fuisse patet, quod de Doëgi filio, qui cum patre suo frequentissimè regem adierat, & castra ejus seqvebatur, credere non convenit: nec ipse Sauli & Davidi de nomine percontantibus, se filium Doëgi, sed peregrini cujusdam Amalekitæ professus est. Denique nec vox אֲמֵלִי ejusmodi coronam, qua reges ordinariè coronari solent, quæ אֲמֵלִי עֵט est; sed ornamentum quoddam seu insigne, quod pileo vel cassidi impositum esse potuit, denotat. Quare rejectis hisce commentis, tuto pronunciamus, Amalekitam istum, non Doëgum aut filium ejus, sed peregrinum quendam, qui inter Israëlitas commorabatur, fuisse. Et licet Saul armatus in prælio comparuerit, nihil tamen obstat, quin ornamenta & insignia, hæc, quibus a reliquis discernetur, gestaverit (b).

§. VII.

(b) *conf. 1. Reg. 22: 30. Curt. lib. 3. c. 11, v. 11.*

§. VI.

DAVID vero receptis hisce insignibus, non potuit non relationi Amalekitæ istius acquiescere, adeoque vestimentis laceratis ob luctuosum regis Saulis & filiorum ejus casum, & populi Dei cladem, cum amicis in mœrorem & planctus solvi. Verum ex hoc mortis nuncio, iterum diligentius requisivit, quis & cujas esset: quem, ut rem fuscus comperit, facinus ejus detestans, eo quod unctō Domini manus inferre, vel hoc jactitare, haud veritus sit, interficere jussit, adjectis hisce verbis: *sanguis tuus in caput tuum recidat: nam os tuum in te testimonium dixit: ego interemi unctum Domini.* Quo vero jure & qua auctoritate David virum istum interfecerit, non omnes æquè judicant. Nonnulli hoc facinus, atro admodum calculo notantes, gravissimi erroris & criminis incusant, & ab Amalekita isto omnem culpam removent. Nam si res se ita habuit prout ipse dixit, injuriam Sauli volenti & insuper roganti, nullam intulisse, quin potius beneficio eum adfuisse

cisse censendus sit; quippe cum non tam interfecerit, quam mortem illi jam jam impendentem accelerando, tormentis gravioribus & ignominie subduxerit. Sin mentitus fuit, eò minus poena capitali mulctari potuisse, quia homicidium non commiserit: mendacium autem vitæ supplicio in foro civili coerceri non posse. Sed æqua lance hæc ponderanda censemus. Licet vel maxime concedatur, nuncium istum mentitum fuisse, quid tum postea? a crimine tamen homicidii absolvi nequit, cum seipsum non verbis tantum, sed & signis ea comprobantibus homicidam professus sit: adeoque voluntatem & conatum se in id intendisse, & propositum etiam perfecisse gloriatus sit. Voluntatem ergo & propositum id perficiendi oblata ejusmodi occasione, sibi non deesse ostendit. Voluntas autem, quæ cum extremo conatu conjuncta est, ut inter illam & facinoris eventum, nulla nova ejus operatio locum inveniat, etsi successus destinatus desit, cum ipso flagitio pari passu ambulat (a). Si vero percussor Sa-

ulis

(a) Puffend. Jur. N. & G. lib. 8. c. 3. §. 10.

ulis, prout ipse jactitavit, reapse fuit, eò magis in legem etiam naturæ impegit, quæ homini injungit, alterum æqualiter ac se ipsum esse tractandum, neque certissimo mortis periculo expositum occidendum; sed omni nixu conservandum defendendumque jubet, ut socialitas conservetur secunda & prospera: & demum ubi auxilium ferre non possumus, divinæ committendum providentiæ (b). Quod ad voluntatem Saulis attinet, illa, ut furiosus hominis consternati, desperabundi & mente moti impetus, percussorem minimè excusat. Grave est in hanc rem judicium Augustini (c): *De mortibus furiosissimis, quas quidam ipsi sibi inferunt, de quibus solent detestabiles & abominabiles esse multis, etiam suis, quorum mentes dementia tanta non possedit, secundum scripturas rationemque Christianorum respondimus, quoniam scriptum est: qui sibi nequam, cui bonus? Aut certe in eisdem tentationibus positum, mori volentem occidat & proximum, qui sibi*

(b) *Buddeus Hist. Eccles. V. Test. Per. 2. Sect. 3a. §. 14.* (c) *Epistola 61. ad Dulcitium.*

bi expedire & licere putat occidere seipsum, quoniam scriptura dicit: diliges proximum tuum, ut te ipsum. Nullis autem jubentibus legibus, vel legitimis potestatibus, non licere alterum occidere, etiam volentem & petentem, & vivere non valentem, satis indicat scriptura regnorum: Ubi rex David, regis Saulis interfectorem jussit occidi. unde concludit: proinde omnis, qui sine ulla legitima potestate auctoritate hominem occidit, homicida est. Hæc ille. Accedit, quod Saul rex, adeoque unctus Domini erat: reges vero sacrosanctos & inviolabiles esse, itidem jus naturale & civitatis ratio exigit: adeo ut non nisi pessimo exemplo cuivis licentia eos pro libidine violandi permitti queat. Ast Amalekita iste, prompto animo, non ex amore illum periculis subducendi, sed cupidine lucri ad mortem illi inferendam seu accelerandam profiluit. Hinc cuivis rem sine præjudiciis expendenti, ad oculum patere speramus, Davidem omni omnino culpa vacasse, quod impudenti huic homicidæ & scelerum licentia gratiam ipsius affectanti, qui

ma.

manus suas regis, eatenus innocentis, & uncti Domini sanguine polluere haud verecundatus sit, cerebrum commiscuerit, eique vires & consilium in posterum nocendi, tempestive ademerit.

§. VII.

VERUM accerrimi isti Davidis censes, hisce nondum contenti, crudelitatis, fraudis, & nescio cujus non erroris & criminis, cum Petro Bælio (a) ipsum calumniari nulli dubitant, argumento inde petito, quod David cum nondum rex esset, eo minus jus gladii in aliquem exercendi haberet. Sic Joh. Clericus (b), hoc Davidis facinus, non *juri cuidam divino, nec humano, sed rationibus, ut loqui amant, politicis, adscribendum contendit. Putat scilicet Davidi cordi curæque fuisse, cum ut omnem suspicionem, ac si Saulem ipse e medio tollendum curasset, & ideo veniam facinorosi Amalekitæ per conniventiam indulgisset, a se averruncaret; adeoque auram favoremque populi, eo*

faci-

(a) in *Diâ. Hist. Crit. vol. per. David.*

(b) in *comment. suo ad hunc l.*

facilius sibi conciliaret: tum ut regum securitati & saluti eo validiora præsidia acquireret, cum ne tali quidem casu, qui nulli obnoxius sit culpæ, manus violentas illis inferre liceret. Ceterum casum culpa non vacare ostendimus. Genuinæ præterea politicæ leges, e re salutis publicæ quam maxime esse, ut principum personæ habeantur inviolabiles, juste docent. Si vero artes intelligantur fucatæ, quæ libidinibus prætextum justitiæ obtendunt, eas quam longissime ab hoc principe abfuisse, summa ejus pietas reverentiaque in Deum, & justitiæ studium affatim arguunt: quin potius sincero animo id fecisse eum, qui ne ipse quidem, quum posset, Sauli nocuisset, persuasi sumus. Et licet nondum potestatem & jus regium ex translatione populi haberet; ex immediata tamen concessione divina, de eodem certus erat: adeoque rege jam priore & heredibus ejus præcipuis extinctis, nullo alio magistratu, in tanta rerum perturbatione, supremo existente, nemo meliori jure impe-

imperium & facultatem hocce scelus vindicandi exercere potuit. Vindicari autem omnino e re civitatis erat, idque hac occasione fieri consultissimum, priusquam percussor elaberetur. Accedit quod David concessio sibi divinitus imperio, jura etiam majestatis & obligationes, imprimis de Amalekitis extirpandis & interneccione delendis Exod. 29: 6. quibus Saul 1. Sam. 15. intempestiva indulgentia pepercerat, ideoque jure regni exciderat, sibi injunctas haud ignoravit: adeoque justam nunc nactus occasionem, hunc, qui majorum delictis prævaricatione & flagitio suo, cumulum addiderat, e medio tollendum curavit.

§. VIII.

PLura quidem adhuc desiderari possent circa illustre hoc argumentum; esset etiam hic amœnissimus in laudes Davidis exspatiandi campus: verum cum imbecillitas ingenii, rei librariæ & familiaris summa angustia, occupationes insuper variæ, quibus distracti sumus, nos prolixiores esse ventent:

72
tent: ideo pedem hic figentes, Te
Benevole L. iterum etiam atque et-
iam rogatum velimus, ut leviuscula
hæc, quæ pro modulo virium, ocu-
lis Tuis submittere sustinuimus,
æqui bonique consulas.

S. D. G.